

Edición de 16

Distante 12

↑
Volumen 5

XIII

Jubileo de año Santo

Alleg.^a sobre una muerte en Valencia

Carta del Cavildo de Valencia al Rey

Adorno del Templo Metropol.^{no} de Llar. - Realada -
Suplicas del Vero del Pilar, Alleg.^a motus -

Vicariats Gen.^l de soldados - consulta -

Consulta sobre alternativa de sereno en Salam.^{ca}

Allegacion - sobre Deuman -

Cerd.^a exigencia de los cuerpos del Justo y Pastor en Navarra

Factor de Armas Francesas y Inglesas contra Catholicos.

Oposicion hecha ala Beatif.^{ca} del P.^o Obpo Salafax

Alleg.^a sobre color de Habitos de Valencia Canonij

Alleg.^a del Cavildo Metropol.^{no} de Tarag.^a sobre procesion.

Cedula del Consejo de Navarra sobre Excom.ⁿ

Carta de amor

Yo soy un hombre en la tierra

que me he enamorado de un

ser vivo que me ha dado

un amor que me ha dado

un amor que me ha dado

un amor que me ha dado

un amor que me ha dado

un amor que me ha dado


un amor que me ha dado

un amor que me ha dado

un amor que me ha dado

un amor que me ha dado

un amor que me ha dado





P R O
 GLORIOSISSIMA APPARITIONE
 BEATISSIMÆ VIRGINIS
 SUPER COLUMNA MARMOREA.

ET
 CONCESSIONE OFFICIJ PROPRIJ
 SUMMARIOLUM.



IRACVLOSA Apparitio Sacratissimæ Virginis MARIAE, in Corpore mortali, super Columna Marmorea, seu PILARI, ad Beatum Apostolum Iacobum Maiorem, in Vrbe Cæsaraugustana, Traditio est toto Orbe Christiano solemnissima; inter Ecclesiasticas primum habens dignitatis locum; doctrinis innixa, & rebus; nec solo sermone, sed etiam cœlieo insculpta marmore. Propterea à verbis Pseudo-chronicorum non timuit: fundata enim extat supra firmam Petram.

Irrefragabilis nostræ Traditionis veritas multimodè constat. Generatim, quia à Pontificibus, Regibus, Episcopis, Religionibus, Breviarijs, Scriptoribus, tam Historicis, quàm Scholasticis, Omniumque fermè Catholicorum verbo, & scripto proclamata gloriatur. Consule Didacum Murillo *in fundat. Capell. S. Mariæ de Pilari cap. 3.* En pro individua eiusdem comprobatione nonnulla momenta, tamno calamo prælibata.

Primò: Columnatam Traditionem corroborant Christianus cultus, inibi Deiparæ exhibitus, & perenniter retentus; stabilitæ Aræ per sæcula; concursus Orbis ad ipsam; stupenda; iugisque miraculorum ad eius invocationem patratio.

Secundò: Summi Pontifices. Calixtus III. mirabilem Apparitionem sic bullat: *Beata Maria, antequam ad Cælum assumeretur... B. Iacobo Maiori in Columna marmorea apparuit, & ob hoc ipsa Ecclesia nomen B. Mariæ de Pilari assumpsit, ac ibi quàmplurima, & infinita miracula Divina permissione diutim fiunt. In sua Bulla edita 23. Septemb. ann. 1456.*

Clemens X. festivitatem Columnatæ Deiparæ sic adornat: *In die 12. Octobris, in qua celebratur Solemnitas Apparitionis, ut vulgè vocant Sanctissimæ Virginis Mariæ, fiat Processio generalis cum eadem solemnitate, qua celebratur Processio Corporis Christi. In sua Bulla Vnionis Ecclesiarum de Pilari, & Salvatoris, edita 13. Februar. ann. 1675.*

Tertiò: Serenissimi Reges. Ioannes II. Capellam S. Mariæ de Pilari magnificat, dicens: *Illud mirabile, quòd in vita ipsius Beatæ, & Gloriosæ Virginis, eiusque iussu, à B. Iacobo Maiore Apostolo constructa, & edificata extitit: in cuius capite ipsa B. Virgo Pilare marmoreum, quod sibi à cælo transfmissum habuerat; & supra quod eidem B. Iacobo Apostolo apparuit, firmari, & collocari iussit. In Privileg. apud P. Murillo citat. fol. 18.*

Ferdinandus II. eamdem Basilicam dilaudans, ait: *Sanè ex Catholicis neminem latere existimamus, apud Urbem Cæsaraugustanam quandam esse*

mi-

VBI
B O

mirificæ devotionis sacram, & antiquissimam Ædem, sive Templum celebre purissimæ, ac immaculatæ Virgini Dei Genitrici dicatam, sub vocabulo B. Mariæ de Pilari, innumeris, & assiduis miraculis præfulgentem. In Privileg. apud eumd. Murillo citat.

Quartò: Eminentissimi Cardinales. Baronius, explicans Canonem Synodi Antiochenæ, inquit: Prescribit (Canon) modum, quo Sacræ Effigies, & Imagines Iesu Christi... necnon & Sanctorum collocentur, & statuuntur, quasi trophæa quædam Sacræ nostræ Religionis, in cippo, vel Columna: Quemadmodum antiquissima, & celeberrima illa Dei Genitricis Imago, quæ dicitur del Pilar in Hispania. Tom. 1. sub anno 57. num. 113. fol. 480.

Eminentissimus Aguirre Marianum in Pilari Adventum sic propugnat: Apparitio Deiparæ supra Columnam, facta Iacobo apud Cæsaraugustam prædicanti, & erectio illius Oratorii in honorem eiusdem adhuc viventis... est Traditio valde antiqua, Pontificum, ac Regum privilegijs firmata à multis sæculis, & plurimorum gravium Scriptorum libris à longo tempore comprobata: quam proinde nemo refutare sine temeritate, aut impietate aliqua possit. Tom. 1. Concilior. Hispan. num. 94. fol. 152.

Quintò: Sacra Rota nostram Traditionem facit Authenticam. Coram D. Bichio asserit: Ad probandam antiquam Cathedralitatem huius Ecclesiæ (B. Mariæ de Pilari) expenditur antiquissima Traditio, tam Historicorum, quàm Scriptorum... qui aiunt, istam Ecclesiam à D. Iacobo Apostolo edificatam fuisse. Decis. 640. num. 3. & seq.

Coram D. Coccino sic concludenter decidit: Traditur B. Iacobum Apostolum iussu Deiparæ Virginis, super Columna, seu Pilare quodam marmoreo inter Angelorum cantus visibiliter apparentis, præfatam Ecclesiam construxisse. Decis. 1867. num. 18. & seq.

Sextò: Catholici Auctores. Et primò Historiographi. Flavius Lucius Dextrus, Synchronus, & D. Hieronymo Charus, Iacobi Marianam Traditionem refert, ibi: S. Iacobus Apostolus Zebedæi filius, peragratis Urbibus Hispaniæ, Templum, vel Oratorium B. Virginis, ex eius iussu, præsentiaque super Columna, Cæsaraugustæ crexit. In Chron. ad ann. Christi 36. num. 2.

Hieronymus Zurita differens de Columnæ Cæsaraugustanæ inconcussa stabilitate, ait: Immo constat, hanc solam sub diuturna Maurorum dominatione, reliquis sacris Ædibus penitus excissis, aut depopulatis, velut sacram Aram, profugij portum, Antistitamque Sedem fuisse servatam. In Indicibus pag. 13. anno 889. apud Rot. coram Coccin.

Secundò: Scholastici. Eximius Suarez Columnatam Apparitionem versat, dicens: Quis ergo audebit huic Traditioni (nempè Columnatæ) contradicere; aut quomodo aliæ Ecclesiasticæ Traditiones inconcussæ conservari poterunt, si huic fides non adhibeatur? Multa, & mira profequitur. Tom. 6. de Relig. lib. 2. de dieb. fest. cap. 9. nu. 15. & 16.

Cornelius à Lapide Iacobi Marianum Adventum bellè comprobat, aiens: B. Iacobus Beatissimæ Virgini charissimus fuit. Vnde Ipsa adhuc vivens Ierosolyma, eidem apparuit Cæsaraugustæ, insistens Columnæ, iussit que eidem Oratorium extui, prædicans illam Hispaniæ partem sibi fore devotissimam. Quare Sanctus Iacobus eidem Sacellum omnium in Orbe primum edificavit. In Comment. in Act. Apost. cap. 12. nu. 6. fol. 201.

Ioannes Stephanus Durantus disertissimè firmat: Sanctissimam Vir-

ginem Mariam S. Iacobo in Civitate Cæsaraugustana apparuisse, ibique primum Templum Deiparæ edificatum fuisse, quod vulgò Nuestra Señora del Pilar hispanicè appellatur. De Ritib. Eccles. Cathol. lib. 1. cap. 2. num. 4.

Missos facimus quàm plures alios Scriptores, non solum Hispanos, sed etiam Exteros, id ipsum nervosè, & dilucidè confirmantes, quos cumulat Sacra Rota coram D. Coccino decis. citat. Apage nimiam Quorundam crismam, & licentiam diffidentium, & refutantium Marianam nostram Apparitionem: *Potior enim ratio haberi debet perpetuæ, & antiquissimæ Traditionis, quàm cuiusvis extraneæ scriptiois, & testificationis,* aiebat in puncto D. Cardinalis Aguirre *præallegat. fol. 138. nu. 19.*

Præiacta hucusque perspicua, & concludentia testimonia infallibilem Columnatæ Traditioni conferunt auctoritatem. Quippè *Traditiones à Maioribus confirmatas esse irrefragabiles, docet ex Basilio Magno Sacra Rota.* Et de Cæsaraugustana signatissimè decidit: *Traditio ista corroboratur quasi sit de fide: taliter quòd non esset tentus pro Catholico, qui de hoc dubitaret. Decis. citat. coram Coccin.*

Præsupposita ergo, & comprobata nostræ Venerabilissimæ Traditionis existentia: *Nihil enim æquè stabilitum testimonijs gravissimorum Auctorum; nihil tota Hispania sacratius, ac venerabilius animis hominum insedisse,* subdit P. Franciscus Bivarius *in comment. Dextri num. 3.* Promovet iam concessionem Officij propriij pro gloriosa Apparitione Beatissimæ Virginis in Piliari multiplex, idque efficax argumentum, à rationibus, & exemplis efformatum.

Primò: intra Deiparæ Columnatæ Officium gravis adest noranda discretio: interfunt siquidem narratio, & cultus; Apparitio, & B. Virgo. Ceterum aliter venit iudicandum de cultu, & aliter de narratione; sicut aliter de B. Virgine, & aliter de Apparitione. Narratio enim per se respicit Apparitionem; cultus autem per se dumtaxat respicit B. Virginem. Apparitio namque solum est impellens cultum ex narratione; secus verò illum terminans ex Religionis virtute. In istiusmodi ergo Cultu, & Officio proprio nequit vitari Religio, utpote ad B. Virginem directam; tametsi Apparitio, & narratio temerari valerent.

Secundò: non agitur impræsentiarum de solemnè declaratione miraculi Apparitionis; sed agitur solummodo de concessione Officij particularis. Hæc inter se se distant longissimè. Miraculum enim plenissimam probationem, & omnimodam exigit certitudinem, ad hoc ut Ecclesia, per Spiritum Sanctum illuminata, supremum, & infallibile proferat iudicium. Circa Officium verò, sicut non versatur infallibile Ecclesie iudicium, ita physica probationum certitudo non requiritur, sed sufficit moralis; testante id Eminentiss. Aguirre: *Quòd tandem in Breviario Romano palam narraretur, sufficit, quòd ut probabile admodum censeatur, non tamen certum.* In *Defension. Cathed. S. Petr. tract. 2. disp. 20. sect. 1. n. 12.* Ast pro Columnata Apparitione extat certitudo moralis, immò quasi infallibilis, & de fide, ut ponderat Sac. Rota: procedit igitur concessio Officij propriij de Adventu Columnato.

Tertiò: Dignitas propemodum infinita Deiparæ, sanctitas incomparabilis supra omnes electos, & puritas, qua nulla sub Deo maior, exigunt quasi iure suo specialem aliquem cultum, nulli alteri mortalium concessum. Hinc cuipiam summè credibile putandum, quòd D. Iacobus,

bus, post sui in Hispaniam adventum, dicaret Dei Genitrici, adhuc viventi, Templum aliquod, vel Oratorium. Nec censendum id accidisse nisi ex speciali B. Virginis imperio, immò, & ordinatione Dei volentis, & iubentis, ut Matri suæ singulariter inter omnes mortales id obsequium impenderetur. Rem igitur ad eò honorificam, & tantopere testatam fas, & ius est, ut Ecclesia anniversaria Officij proprii decoret celebritate.

Accedit tandem, & perurget veneranda praxis Ecclesiæ Catholicæ plures celebrantis festivitates, quarum veritas est admodum quidem probabilis, sed non certissima. Ut omittamus alia plura, en quatuor circa Deiparam exempla.

Ecclesia solemniter celebrat officio Assumptionem B. Mariæ Virginis in corpore, & animo simul ad cælum; quæ licet sit Ecclesiastica Traditio indubia, non tamen est fide certa, ut declamat ad populum è suggesto D. Ildephonus: *Nec sanè omittere debemus, quod multi pietatis studio libentissimè amplectuntur, Deiparam hodierno die à Filio suo Domino nostro Iesu Christo ad cæli corporaliter sublevatam palatia: quod licet pium sit credere, à nobis tamen non debet affirmari, ne videamur dubia pro certis recipere.* *Serm. 6. de Assumpt. B. Mariæ Column. 2.*

Pariter: œcumenico celebratur cultu Festum Immaculatæ Conceptionis B. Virginis Mariæ, de quo tamen scribit Purpuratus Aguirre: *Romani Pontifices instituentes festum Conceptionis Deiparæ, ipsique solemnitatem addentes, non propterea definierunt hætenus sanctitatem in primo instanti animationis.* *Loc. cit. Cathed. S. Petr. disp. 25. sect. 1. nu. 19.*

Præterea: Messanæ in Regno Siciliæ agitur cum Officio proprio die III. Iunii Festum Epistolæ B. Mariæ Virginis ad Messanenses, ut testatur P. Paulus Bulli libro inscripto *Gloria Messanensium*. Quæ tamen Epistola inter Extraneos, etiamque Siculos ipsos Scriptores suas patitur difficultates, & contradictiones. *Libr. de gloria Messanens. si ve de Epist. Deiparæ ad Messanen.*

Denique, & simillimè: Festum Apparitionis Sacræ Imaginis B. Mariæ in Porticu celebratur Romæ quotannis cum pari indulto Officij proprii die 17. Iulij. *In Decret. edito die 17. Iunii anni 1679* Sac de exemplis, quæ facilitant valde, ne dicamus, necessitant concessionem Officij Columnatis; pro quo nedum argumenta probabilia, sed plenissimè afferuntur probationes, ut affirmat Sacra Rota.

Hæc motiva pro Officio privato Columnatæ Marianæ Apparitionis sufficere videntur: dum alia (forfan minora) pro sacrandò univèrsali Officio Evangelistæ Ioanni, in ferventis olei dolium missi, suffecerunt.

